



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1608.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

*A N N U S 1608.*

**R**omæ à Paulo V. duplex legatio suscipitur, altera à Rege Congi ad obsequium deferendum sedi Apostolicæ, altera longè illustrior, ad idem tamen officii genus; adornata à Rege Christianissimo Henrico IV. quâ functus est Carolus Ganzaga Dux Nivernensis.

Idem Pontifex hoc ipso anno mense Maio refert in numerum sanctarum Viduarum S. Franciscam nobilem Romanam Viduam.

Equitum item Ordinem à Vincentio Duce Mantuæ institutum in memoriam sacri sanguinis Christi approbat. Formulam verò juramenti, quâ Jacobus Rex majoris Britanniae Catholicos regni sui adstringere nititur, ut impiam & blasphemã condemnat.

Gravis orta collisio inter Rudolphum Cæsarem, & Matthiam Archiducem fratres Austrios ab eodem Pontifice concordiae arbitro feliciter componitur. Matthiæ cessit cum Austriâ regnum Ungariæ, cujus diadema eodem anno mense Novembri ritu solenni suscepit Posonii; dictus præterea successor regni Bohemiæ, si Rudolphus sine prole masculâ prior vitâ decederet.

A sectariis per Ungariam, Bohemiam, &

Austriam extorta libertas conscientiae, & facultas impunè struendi suae sectae nova templa.

Philippus Hispaniarum Rex Philippum Dominicum victorem filium natu maximū necdum tamen trimulum 13 Januarii madriti Castellae regem renuntiat.

Moritur Carolus Dux Lotharingiae mensae Majo, princeps pietate, virtutibus & annis plenus, ac successorem habet Henricum filium natu maximum.

In Belgio totus verè hic annus, prorogatis sub inde induciis, consultationib<sup>9</sup> ac negotiationibus de pace impensus.

In Livoniâ Carolus Rigae obsidionem solvere cogitur à Polonis.

Ratisbonae celebrantur comitia Imperialia Praesidente pro Rudolpho Caesare cum potestate vicariâ Ferdinando Archiduce, sed successu parum læto & exitu pene nullo.

In Regno Travancoridis in Indiâ Orientali coram imagine S. Francisci Xaverii arserunt lampades 15 aquâ plenae, non minùs ac aliae lampades totidem plenae oleo.

Bambergae quidam Martinus Guttricus sectae Lutheri addictus, præmium insigne tulit suae devotionis erga D. Virginè, quam  
solitus

solitus erat quot diebus septem salutationibus Angelicis venerari; ab ipsamet enim in morbo lethali ad ejurandam hæresin invitatus, sumptâ Eucharistiâ à Forneri suffraganei Bambergensis manibus, in nocte natalitia, sicut prædixerat, piissimè obiit.

*ANNUS 1609.*

**R**omæ mense Augusto excipitur à Paulo V. nova Legatio à Rege Persarum Xa Aba, cultum illi & obsequium deferente.

Sectarii per Germaniam, assumpto correspondentium vocabulo, arctissimo se mutuò obstringunt fœdere contra Catholicos, & unionem ineunt. Caput unionis dictus Fridericus hoc nomine IV. Comes Palatinus Rheni & Elector, Calvino addictus cui ex heterodoxis adhæserunt propè sine numero. Contra hos ex adverso fœdus, quod ligam dixerunt, cudunt orthodoxi, impulsore potissimum Trevirensium Archiepiscopo Electore in ejus arce Ehrenbreitsteiniensi, multùm approbantibus opus tam sanctum Pontifice maximo & Rudolpho Cæsare. Caput Ligæ designatus Dux Bavarix Maximilianus, cui se fide constanti, magnisque animis adjunxerunt Archiepiscopi, Episcopi, Abbates per Germaniam præcipui,